
Digitized by Google

DEIPARÆ
VIRGINI BEATISSIMÆ
THESES EX JURE CANONICO EXCERPTAS,

QUAS EX PERMISSIONE

R. P. D. PAULI FRANCISCI ANTAMORI

Sacræ Consistorialis Aulæ Advocati, & Almæ Urbis Archigymnasii Rectoris Deputati

IN COLLEGIO GERMANICO-HUNGARICO


PUBLICE DEFENDENDAS PROPONIT,

ANTONIUS BEXIN NOBILIS REGNI CROATIÆ

SACERDOS

EJUSDEM COLLEGII ALUMNUS

D. D. D.





ROMÆ MDCCLXXI.
EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI.



SUPERIORUM PERMISSU.

THESES SELECTÆ
EX JURE CANONICO.

I. ROmanus Pontifex, D.N. Jesu Christi Vicarius, ac S.Petri Apostolorum Principis Successor, eum in universa Ecclesia Primatum habet, quem S. Petro Christus contulit, cum ei claves Regni cœlorum dedit, gregemque totum pascendum, regendumque commisit.

II. Quemadmodum autem Petro immediate gregis universi curam credidit, ita eidem immediate claves Regni cœlorum cæteris communicandas dedit.

III. Hic tamen Primatus neque est meri ordinis, & honoris, neque solius consociationis, nudique directorii, uti post Photianos, aliosque Schismaticos novissime Jurisconsultum Febronium docuisse ostendimus.

IV. Sed est auctoritatis, potestatis, ac jurisdictionis, uti ex Sacris Litteris, ex Œcumenicis Conciliis, communique Sanctorum Patrum scripturas interpretantium consensu Catholici Doctores contra falsa hæreticorum dogmata scribentes unanimiter, constanterque tradidere.

V. Unde sequitur Monarchicum esse Ecclesiæ regimen, non eo quidem Principatus genere, qui Tyrannidem, aut Despotismum sapiat, sed qui mitissimum Ductorem gregis, divinique Pastoris Vicarium, & imitatorem deceat.

VI. Ex natura, & jure hujusce Primatus potestatis, ac jurisdictionis Romano Pontifici jus competit recipiendarum ex omnibus Ecclesiæ partibus appellationum.

VII. Ejusmodi igitur recipiendarum appellationum jus non est privilegium adjectitium, ac primo tributum Romano Antistiti a Sardicensi Synodo, neque hæc quoad Romanas Appellationes novum aliquid, & antea insuetum induxit, uti comminiscitur Febronius.

VIII. Multo ante Sardicense Concilium delatas ad Romanum Pontificem fuisse, ab eoque exceptas e variis Mundi partibus appellationes, ex authenticis Historiæ Ecclesiasticæ monumentis constat.

IX. Mar-

IX. Marcio Presbyter a Sinopensi Episcopo parente suo Fidelium communione, ac Presbyteratus gradu privatus, cum ab eo pœnitentiam admissi criminis obtinere non potuisset, ad Romanum Pontificem provocavit, ut suprema ejus auctoritate non per justitiam, sed per dispensationis gratiam in gradum, & communionem repararetur.

X. Montanus quoque, Florianus, Blastus, aliique, quos Cataphryges nuncupabant, ad Apostolicam Sedem appellarunt.

XI. Idem ex Africana Ecclesia præstitisse scimus Privatum Lambesitanum, Novatum, Fortunatum, Felicissimum, & quatuor ejusdem Africanæ Ecclesiæ Presbyteros.

XII. Basilides etiam Asturicensis, & Martialis Emeritensis in Hispania Episcopi in Provincialibus Synodis depositi, ad Apostolicam Sedem appellatione interjecta, Romam accesserunt.

XIII. Celeberrimum autem Romanæ appellationis exemplum habemus in Cœciliani Carthaginensis Antistitis causa, quæ ad S. Melchiadem Papam per modum appellationis delata; ab eo retractata fuit, ac definita.

XIV. Inter Appellationes ex Orientali Ecclesia ad Romanum Episcopum ante Sardicensẽ Synodum factas principem sibi vindicat locum ea, quam contra Eusebianos ad S. Julium interposuit S. Athanasius Alexandrinus Antistes.

XV. Ejus exemplum imitati sunt Paulus Constantinopolitanus, Asclepas Gazensis, Lucius Adrianopolitanus, Marcellus Ancyranus, aliique Orientales Episcopi, ac Presbyteri, qui in Synodis ab Eusebianis damnati, depositique, ad eumdem S. Julium I. appellantes confugerunt.

XVI. Ipsi quoque Eusebianæ factionis Principes, Ursacius, & Valens Episcopi, in Sardicensi Concilio de Episcopali gradu, ac Sede dejecti, & ab omni Fidelium communione sejuncti, Romam accesserunt, suorumque criminum veniam a Romano Pontifice postulantes, illud etiam enixis precibus petierunt, ut suprema ejus auctoritate, ac potestate non per justitiam, sed per dispensationis gratiam Fidelium communioni, suisque sedibus restituerentur.

XVII. Falsa est Febronii propositio asserentis, Sardicense Concilium

cilium Romano Pontifici non Appellationum Jus, ſed quamdam ſolum decernendæ reviſionis auctoritatem tribuiſſe.

XVIII. Jus quidem recipiendi appellationes Romano Epiſcopo Sardicenſis Synodus non tribuit, illud enim ipſe a Chriſto Domino una cum Primatu poteſtatis, ac jurisdictionis accepit, acceptumque ſemper exercuit, & uſque ad conſummationem ſæculi exercebit.

XIX. Verarum tamen Appellationum Jus, quod Romano Pontifici ratione Primatus ex divina inſtitutione competit, Sardicenſis Synodus declaravit, ſuiſque legibus adverſus refractarios communivit.

XX. Quod quidem patet primum ex obvio, ac naturali Canonum Sardicenſium ſenſu, & ex fine, quem ſibi, dum illos conderent, ejuſdem Concilii Patres propoſuerunt.

XXI. Patet deinde ex perpetua utriuſque Eccleſiæ, tum Orientalis, tum Occidentalis praxi, ſtabilique in utraque Eccleſia eorumdem Canonum obſervantia.

XXII. Non igitur Romanæ Appellationes incrementum ſuum, immenſamque propagationem debent falſis Iſidori Mercatoris Decretalibus, uti ad nauſeam uſque repetit, & inculcat Febronius.

XXIII. Innumera enim habemus appellationum exempla, quæ poſt Sardicenſem Synodum ex utraque tum Orientali, tum Occidentali Eccleſia ad Apoſtolicam Sedem delatæ ſunt ante ſæculum nonum, quo primum lucem juxta communiorem ſententiam Iſidori Decretales prodierunt.

XXIV Quamquam pleraſque Iſidori Decretales ſuppoſititias eſſe cenſeamus; Eas tamen immerito Pontificiæ poteſtatis oſores tot dicteriis, contumeliis, ac maledictis proſcindunt, cum eaſdem, uti Cardinalis Bona, Natalis Alexander, ac Petrus de Marca fatentur, e ſententiis, & verbis Legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum, qui quarto, & quinto ſæculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatas eſſe conſtet.

XXV. Multo autem minus horribilem illam Iſidorus meretur cenſuram, qua eum Febronius notat, ubi ait, unum Iſidorum Mercatorem plus mali Eccleſiæ, quam Hæreſiarchas omnes, intuliſſe.

XXVI. Non tamen his Decretalibus Romani Pontifices aut utuntur,

tur,

tur, aut indigent, ut collata ſibi divinitus privilegia ab hoſtilibus oppugnatoribus tueantur.

XXVII. Eccleſiæ enim Romanæ privilegia, uti S. Nicolaus I. ſcribit in epiſt. 4., Chriſti ore in B. Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitus obſervata, a Sanctis Univerſalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Eccleſia jugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari. Quod Deus poſuit, humanus non valet amovere conatus.

FINIS.

